Π u
377

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-24000-p0001-2

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-24000-p0002-8

Qk VI, 31.
II u 377

# JO. GEORGII LAYRIZ,
AD ÆDEM AULICAM DIACONI, ET SACRÆ AC CIVILIS HISTORIÆ PROFESSORIS PUBLICI,

*DE*

# FONTIBUS SOTERIIS,

*IN*

ILLUSTRI PRINCIPATU SUPERIORI BURGGRAVIATUS NORICI,

D. XXVII. JuLI cIↄ Iↄc XXCVII.

*HABITA*

# PANEGYRIS.

---

*Literis Minzelianis.*

de Acidulis Bibracensibus p. 47 sq.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-24000-p0003-3

*SERENISSIMO PRINCIPI*
*AC DOMINO,*

# DN. CHRISTIANO ERNESTO,

MARGGRAVIO BRANDENBURGENSIUM, MAGDEBURGENSIUM, PRUSSORUM, STETINENSIUM, POMERANORUM, CASSUBIORUM, VANDALORUM, UT ET IN SILESIA, CROSSENSIUM ET SCHWIBBUSENSIUM DUCI, BURGGRAVIO NORIBERGENSIUM, PRINCIPI HALBERSTADENSIUM, MINDENSIUM, CAMINENSIUM, COMITI HOHENZOLLERENSIUM,

## S. CÆS. MAJ. PRO-DUCI GENERALI,

*PRINCIPI AC DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,*

FELICITATEM

*ET*

INCOLUMITATEM

PERPETUAM!

BIBLIOTHECA PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (SAALE)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-24000-p0004-9

A & Ω!

# Præmiſsis honorum titulis.

DUm immenſam Divinæ bonitatis magnitudinem, atque admirabilem ubertatem, qvâ innumeras miſerorum mortalium ærumnas copioſè ſolet reficere, exactiore mentis trutinamur & expendimus lance, infinitis certè, utut infirmis præconiis, eandem extollere par eſt. Qvod ſi enim per univerſum hunc orbem oculos circumferimus, non unam eqvidem malorum & miſeriarum myriadem deprehendere licebit, qvæ animum excruciant, corpus adfligunt, totumqve hominem tantùm non enecant & deperdunt. Sevocabimus aliqvantiſper mentem ab iis, qvæ Spiritum premunt, calamitatibus, ad eas tantùm, qvæ extra nos, nos qvotidie circumſtant, oculorum aciem flectentes, qvæ, ùt publicæ, ferro, clade, ùt privatæ, modis mille aliis agmine in nos toto irruunt, & penitùs nos infeſtant. His tamen ut ſortem opponamus animam, iis ne ſuccumbamus, ſed ferendis ſufficiamus, divini præſtat opitulatoris benignitas, qvâ ſuam inter medios armorum ſtridores, inter condenſata funera, publicaqve ac privata mala alia, in nos largâ manu gratiam effundit, effuſam imprimit, impreſſam firmiter radicare facit. Hinc etiam eſt, ut, qvicqvid acerbitatis nobis immittitur, qvicqvid doloris infligitur, ſua ſemper media ac remedia nexu indivulſo ſecum gerat feratqve. In DEO enim reſidet benefica illa atqve ſalutaris vis, qvæ lædere æqvè ſpernit ac lædi, & cui una ſummaq; potentia, & cum potentiâ voluntas eſt, cuivis prodeſſe. Itaqve etiam priſci illi tenebriones, cùm ſuperum illud Numen mente conciperent, rectè à *juvando* dixêre *Jovem*. Nam num qvis exaſperari illud cenſet & iraſci ? & velut hæc noxia qvæ-

dam tela ſpargere in hominum genus? Errat, qvicunque ita ſentit; ira, vindicta, ultio, humani adfectûs nomina ſunt, & nata ex imbecillitate, non niſi in imbecillos cadunt. Perſeverat autem in benignitate ſuâ æternùm illa mens, & iſta ipſa aſpera, qvæ ſuggerit aut ingerit, velut medicamenta ſunt, ſenſu triſtia, re pariter & eventu ſalubria. Conferamus modò exempla, eáque in medium proferamus, &, qvàm vera hæc ſint, non obſcurè deprehendemus. Qvid enim? annon ſuperioribus annorum decurſibus immenſos bellorum ſtrepitus audivimus? nonne ædes & pagos partim deſertos, partim everſos, beluas ſpecie hominum tetras, homines beluarum more immanes, hortos incultos, arbores horrentes, ſpumantia ſangvine prata, refertos non ſegete aut meſſe, ſed cadaveribus agros hinc inde licuit obſervare? Sed qvàm gratioſè opitulata fuit malis his divina manus, triſte bellum in dulce pacis nomen, gladios in vomeres, lanceas in dentalia dextrè commutans! Qvantum *Turcarum* rabies *Hungariæ* & *Auſtriæ* imminens, *Germanorum* nationi incuſſerit terrorem, qvàm conſternati fuerimus, ubi ad *Viennam* truculentiſſimum hoſtem hærentem, ejus expugnationem omni opere, eâque pro ſuâ ſpe feliciter ſuccedente, noſtris cervicibus diriſſimæ ſervitutis jugum imponere molientẽ, vereri neceſſe habebamus, noſtris etiamnum mentibus non ſine horrore obverſatur. At divinæ benignitatis, & omnem humanam vim ſuperantis potentiæ opus erat, immanem hanc ſævitiam intra terminos coërcere, malum, qvod verebamur, à *Germaniæ* finibus longiùs averruncare, & qvas ſpe jam devoraverat, victorias, ejus manibus extortas, in ſibi devotum populum plenâ manu congerere. Qvod qvidem bonum qvò magis noſtra prævertebat vota, & qvò in plures ſe diffundebat, eò ampliorem in qvibusqve patriæ ſalutis amantibus læticiam excitabat. Hæc enim dum ex melioris fortunæ interventu emergere ſolet, utut in omnibus locum habeat, tùm tamen potiſſimùm ſuum pondus acqvirit, ſuum robur perficit, cùm fortuna clementior excellentiæ melioris nomine mortalibus contingit accepta.

Sed

Sed qvid illa remotiora adducere juvat exempla, ubi præ manibus ſunt propiora, potiora & æquè illuſtria? Quæ enim cauſa ſit, cur hâc vice Splendidiſſimorum AUDD. corona heîc confluxerit, cur omnium oculos vigore claros, ora in jubila reſoluta, corda tripudiis exultantia videam, nemo inter nos adeò hoſpes eſt, qvi cum ignariſſimis neſciat. Læticiam qvidpe, eamqúe non vulgarem, ſed inſigniorem, non exiguam, ſed pluribus aliis majorem imperat ſidus hodiernum, ſidus candidiſſimo lapillo numerandum, ſidus lætiſſimis qvibuscunqve auſpiciis venerandum & amplexandum, qvod idem nobis benigniſſimum cœlitùs indulſit Numen, utqúe devoti celebraremus, noſtra nobis injungit pietas. Hoc enim illud ſidus eſt, qvô Sereniſſimus Princeps ac Dominus, Dominus CHRISTIANUS ERNESTUS, Marggravius Brandenburgenſis, Magdeburgenſis, Pruſſorum, Stetinenſium, Pomeranorum, Caſſubiorum, Vandalorum, ùt & in Sileſiâ Croſſenſium & Schwibbuſenſium Dux, Burggravius Noribergenſium, Princeps Halberſtadenſium, Mindenſium & Caminenſium, Comes Hohenzollerenſium, S. Cæſ. Maj. Generalis Eqvitum Dux, & Chiliarcha, Princeps ac Dominus noſter Clementiſſimus, Nutricius Munificentiſſimus, primam annis abhinc qvadraginta tribus auram hauſit vitalem, hujusqúe lucis uſurâ frui feliciſſimè cœpit, à Sereniſſimâ & Pientiſſimâ matre, præter opinionem omnium, (1) obſtetricante divinâ, eâqúe miraculosâ gratiâ, ex omni-



(1) *Videſis* M. ENGELH. SCHOCHII *Concionem lugubrem, in obitum Ser.* SOPHIÆ *habitam, p. 55. ubi ita:* Das Fürſtl. Herrlein (*eſt idem Noſter Sereniſſimus*) iſt mehr vor ein Wunder/ als natürlich Kind zu achten/ wie hievon die Herren *Medici* gründlicher/ als meine Wenigkeit/ Bericht geben könten.

mnium tamen votis, non adeò difficili partu editus, ac mille SOPHIÆ baſiis, mille ſuorum gratulationibus, jubilis mille exceptus. Recolite qvæſo, AUDD. vobiſcum *Parentem Sereniſſimum*, DN. ERDMANNUM AUGUSTUM, piæ mem. Principem, qvô gaudiorum imbre fuerit perfuſus, ubi fama, parentem ſe factum, & filium ſibi natum ferebat, itemque Nobiliſſimæ Fœminæ Eidem divinum hoc amoris pignus oſculo excipiendum offerebant. Recolite *Sereniſſimam Matrem*, beatæ recordationis, Dominam SOPHIAM, verum & genuinum Divinæ ac humanæ Sapientiæ exemplar, qvomodo intenſiſſimum ſuum gaudium in interiori cordis ſacrario excitatum, repetitis modo innumero amplexibus, gratiis DEO oblatis, firmaverit, & conteſtata demonſtraverit. Propterea etiam ingentis læticiæ ſigna, munificentiæ & benignitatis officiis dedit, dum Gynæceum ejus officina qvaſi liberalitatis, & miſericordiæ fons fiebat, erga aulam non ſolùm, ſed & Eccleſiam & Scholas: inprimis verò illas, qvorum diligens illa morum Magiſtra Pauperies, vel dignitas, vel honos exigere videbatur, declarabat, & tantâ Principe digna erogabat benigniſſima beneficia (2). Recolite *Sereniſſ. Avum, Dn.* CHRISTIANUM, Neſtora noſtri hujus Principatûs, at, qvid Principatûs dico? totius *Germaniæ* prudentiſſimum, Principem, in qvem omnia ſua dona & bona copioſâ manu Gratiæ contulerant, beatiſſimæ qvoqve recordationis, gaudio exultantem, voluptate geſtientē, cui lachrymæ largis imbribus per vultum præ gaudio procurrebant, qvòd Avus fauſto ſalutaretur omine, nato Nepote exoptatiſſimo. Imò, qvàm magnâ tùm omnes hilaritate fuerint completi, ex communi totius noſtræ Urbis læticiâ cognoſcere palàm fuit, excitatâ campanarum feſtivo pulſu, patefactâ ſalutationibus publicis, declaratâ cunctorum ordinum concurſu, exhilaratâ ipſorum ſubmiſſiſſimis ac devotiſſimis congratulationibus: & animos inſolitâ alacritate ge-

(2) Confer Parentationem *Rectoris* tùm Scholæ *Baruth. KLEESATTELII lit. Mm. 6.*

geſtientes in vultu, fronte, oculis eorum, qvi læti ac hilares hoc die, his horis, tùm ad inviſendum, ſalutandumque & oſculo libandum donum hoc DEI convolabant, expresſos videre licuit. Hoc itaque læticiæ publicæ tempus dum Sole hoc recurrit, dum horæ hæ hilaritate exuberantes revolvuntur, procul hinc, procul ite qverelæ, cujuscunque ſitis generis, abſint lamenta. exulet luctus, nullâ lachrymabili conqveſtione mentem Auditorii adeò ſplendidi infuſcabo (3): ſed & vota & preces fundens, qvæ hujus diei ſunt, ritè exeqvar:

*Nam dicenda bono ſunt bona verba die.*

Accedit alia noſtræ læticiæ cauſa, qvam hujus diei anniverſaria nobis inſinuat celebratio, qvâ ante annos hos viginti tres auſpicatisſimo ſuo hoc Natali *Serenisſimus* modò laudatus Patriæ Pater Muſis in urbe ſuâ primariâ ſedem, nominique ſuo perennaturam gloriam, Illuſtre hoc CHRISTIAN-ERNESTINUM pietate, qvâ in DEum ardet; πρεσθυμίᾳ, quâ ergà ſubditos flagrat; Majorum ſuorum imitamento, proprioque motus incitamento, in DEI Trinunius gloriam, ſui perpetuantem ac æternam memoriam, ditionis ornamentum, literariæ rei ſtabilimentum, ſubditorum ac exterorum certisſimum emolumentum excitavit, condidit, erexit: Quam ſolemnitatem ita duplicatam ut debitâ animi veneratione, devoto in Principem cultu, grato in literas amore proſeqvamur, poſcit in DEum pietas, juſſus *Serenisſimi* imperat, noſtrum id exigit & poſtulat debitum. Atque hoc ipſum ut præſtemus officium, cur hac qvidem horâ convenerimus, ego que ad dicendum cathedram conſcenderim, cauſa eſt. Deliberanti autem, qvodnam potisſimùm argumentum orationi ſeligerem, ut *Serenisſimi* clementisſimo aliqvantiſper ſatisfieret mandato, qvô, ut vel de *Serenisſima Domo*, vel de *Ditionibus Ejus*, vel de *Speciáli qvâdam ex iisdem materiâ*, ſermo fieret publicâ hàc Panegyri, ex divini ſui ingenii regulâ, qvantum hoc ad *Serenisſimæ* Domûs *Brandenburgicæ*, vel regionum ſuarum ſplendorem,

(3) Multorum aliàs genas & ora rigârunt hoc tempore lachrymæ, funera ſuorum lugentium.

rem conferret, probè gnarus (4), priorumque annorum exemplis feliciter edoctus (5), aliqvot abhinc annis (6) imperavit, ut-

(4) Vix ullam, plurimùm certè fabuloſam falſamve de *hoc Maggraviatu* & noſtro *BARUTHO* qvondam fuiſſe apud exteros memoriam, liqvidò conſtat: ex eo autem tempore, qvô *Illuſtre* hoc CHRISTIAN-ERNESTINUM floret, ſui noticiam ubique ſparſit uberiorem & certiorem, atque inſignia de *Sereniſſimâ Domo Brandenburgicâ*, hiſque Ditionibus documenta usque huc è tenebris in lucem qvaſi protraxit.

(5) Sic A. 1666. d. 27. Jul. CL. *Dn. M. LUD.* LIEBHARD *Prof. tùm Hiſtoriarum, pòſt Superint. Monachom. hinc Culmbac. meritiſſimus, b.m.* de *BARUTHO, matre ſtudiorum*, diſſeruit. A. 1668. CL. *DN. FIKENSCHER, hodiè Sereniſſ. Principis Hæreditarii Informator, Philoſophiæ item P.P. & Alum. Inſpector, Illuſtriſſimæ Sereniſſimæ Domûs Brandenburgicæ merita in rem literariam*, & A. 1674. *Fata Baruthi* luculenter expoſuit. Eodem die A. 1673. CL. *DN. M. OERTELIUS, Prof. tùm Ebrææ & Græcæ LL. hodiè Diaconus Eccleſiæ Baruthinæ, ac LL. Syr. ac Chald. Prof. P. meritiſſimus, Dn. Fautor, Adfinis & Compater plurimùm honorandus de Judæis ex Urbe hâc Baruthinâ expulſis, & qvid heic loci patrârint, ſimul recutitis neqvam*, habuit Panegyrin. 1675. *Pl. Reverendus atque CL. Dominus LAURUS, Aed. Aul. Diaconus antehac merentiſſimus, Profeſſor tùm Eloqv. ac Poëſ. dexterrimus, pòſt LL. Ebr. & Græc. Prof. P. ſolertiſſimus, Superintendens hodiè Culmbac. vigilantiſſimus, Dn. Fautor ac Adfinis colendiſſimus, Hiſtoriæ Curienſis guſtum* nobis delibandum propoſuit, 1676. ego *de Burggraviatu Norico, ejus initiis, augmentis, Principibus horumq; Conſiliariis* publicâ Panegyri dixi:

(6) Sereniſſimi Mandatum die X. Martii 1677. promulgatum fuit, quô *B. Dni. à LILIEN* ſolers cura non laudatur modò, ſed ut deinceps eadem ratio accuratè obſervetur, his qvidem verbis imperatur: Uns gereichet Euer/ des Præſidentens von Lilien / gethane Verfügung zu Gnädigſten Gefallen/ daß an Unſerm Geburths-Tag bei dem Chriſtian-Erneſtiniſchen Collegio allhier von einem Profeſſore jährlich eine Oration, entweder von Unſerm hohen Hauß/ oder Land und Städten gehalten werden ſoll: geſtallt dann damit allbereit ein Anfang gemachet worden. Wie Ihr nun daran zu ſeyn/ daß mit ſolchem (NB.) nützlichen Werck ferner continuiret und fortgeſezet werde/ etc.

utut variæ aliæ, neqve adeò protritæ, ſeſe offerrent materiæ, memor tamen eorum, qvæ anno hodiè elapſo ex hoc loco diſſeruit honoratisſimus Dominus Collega Anteceſſor, Fautor, Adfinis & Amicus conjunctisſimus, *de re Metallicâ, qva Sereniſſimum hunc Principatum exornat* (7), adfinem illi ſeligere materiam, atque *de Fontibus Soteriis & aqvis ſaluriferis*, qvibus Sereniſſimi Noſtri ditiones avitæ etiamnum per benignam DEI gratiam rigantur & ſoſpitantur, breviter qvædam Orationis loco exponere conſti-



(7) Laudatus ſupra Dn. *Collega P. FICKENSCHER rem Metallicam, Illuſtris hujus Marggraviatûs* nobis contemplandam jucundè admodùm 1686. propoſuit. Cùm poſt Sereniſſimi Edictum 1677 d. 27 Jul. Cl. *Dn. HAGEN, Eloqv. Poëſ. & Matheſ. Prof. Fautor & Collega itidem amiciſſimus, Judiciũ Cæſareo-Provinciale Noricum, juxta fontes, immunitates, jura, ſolemnia, dignationem, atq; amplitudinem, nec non perſonas tàm olim, quàm hodiè iſthoc adornantes*, floridè expoſuiſſet. A. 1678. *Pl. Rev. Dn. M. RENTSCHIUS, concionator Aulicus ac Xenodochialis item Theol. Mor. P.P. Dominus Fautor, Adfinis & Compater debitè venerandus Jubilæum Burggraviatûs Norici celebrandum* nobis intimavit, *hiſtoriamq; Reformationis Evangelicæ*, quam Sereniſſimus Princeps, Dominus GEORGIUS *cognomento Pius, Marggravius Brandenburgenſis, communi Statuum conſenſu A.* 1627. *ſuſcepit*, graviter expoſuit, A. 1679. ſuperiùs memoratus *Dn. M. OERTELIUS de Judæis, Turcis ac Æthiopibus illis, qui ſub feliciſſimo Sereniſſimi noſtri Principis* CHRISTIANI ERNESTI, *&c. Imperio in Chriſtianâ informati fide, baptiſmatisq; Sacramento in Baſilicâ noſtrâ tincti, atque Chriſtiani facti fuerunt*, Orationem habuit, 1680. *Dn. P. FIKENSHER Sereniſſimæ Domûs Brand. cognationem cum plerisq; Europæ Regibus* fideliſſimè recenſuit, 1681. *Dn. P. LAURUS Principatum noſtrum*, h.e. *Marggraviatũ Superioris Burggraviatûs Norici, ùt hodiè eſt*, delineavit, 1682. ego *Sereniſſimos Brandenburgicos Heroës* in proſcenium adduxi, 1683. *Dn. P. HAGEN potentiſſimæ Domûs Brand. dignationes, prærogativas, immunitates & expectantias ſingulares, maximè, quantum ad Burggraviatum ſpectant Noricum*, exhibuit. 1684. *Dn. M. RENTSHIUS gentiliſmum, qui his oris olim viguit*, nobis deteſtandum dedit. 1685. *Dn. M. OERTELIUS de Illuſtris noſtri Collegii Incunabulis pariter atque augmento ejusdem, incrementoq;* verba fecit.

tui. Cui alia qvidem & propior adhuc accedit ratio, ut ſcilicet demonſtrem, & illi malo, aliisve compluribus, qvibus ob flagitia noſtra qvotidiè involvimur, ſua tamen benignitate media ac remedia oppoſuiſſe Numen O. M. ſufficientiſſima, ex qvibus placatum nobis Deum, iræ ſua medio cognoſcere poſſumus. Injurius eqvidem in diei hujus feſtivitatem poſſem videri, qvod aqvam Natali hoc offeram, cùm dulci potiùs mero libandum ſit, At qvanqvam propinem aqvam, de qvâ aliàs proverbium: *Aqvam bibens probum & utile pariet nihil* (8); Utut convivium hoc ſit ἄοινον, ſine vino (9), non tamen vos hydropotas nunc volo, nec ego, qvod firmiter ſpero, aqvam inaniter conſumam (10). Illa ipſa qvidpe *Falernum*, & qvodcunq; aliud vini nobiliſſimi genus multis poſt ſe paraſangis relinqvit. Et cogitate qvæſo, AUDD. vos in *Paphlagoniâ* in agro *Caleno* jam conſidere, vel ad fontem *Lynceſtis*, qvi & vocatur *acidula*; de qvô naturæ ſcrutatores *Plinius* (11) & *Seneca* teſtantur, eum vini inſtar hominem temulentum reddere, hinc *Seneca* (12) ita:

*- - - Lynceſtius amnis*
*Qvem qvicunqve parum moderato gutture traxit,*
*Haud aliter titubat, qvàm ſi mera vina bibiſſet.*

Qvod idem de *Schwalbacenſibus* qvoqve memoratur acidulis, (13) qvarum qvædam proximum vino ſaporem guſtu referre dicun-

(8) Vid. Eraſm. Adag. Chil. II. cent. 6.
(9) Eund. Cent. VI. Chil. I. n. 70.
(10) Chil. I. Cent. IV. 73.
(11) Plinius l. II. 103. Hiſtor. Nat.
(12) Seneca l. II. 20. Qq. Nat.
(13) Ita Autor der Abentheur-Natur- und Künſtl. Sachen in Sina und Europa; & ex eo Seifried in Medullâ mirabilium naturæ l. II. 9. Zu Schwalbach unter denen daſelbſt befindlichen Sauerbronnen/ iſt einer nicht der geringſten/ dieſer hat 2. Qvellen; wann ſein Waſſer des Morgens in ſeiner natürlichen Hitz getruncken wird/ ſo empfindt man ihn ſo bald im Kopf/ auf der Zungen aber zwittert er etwas gelinder/ als ein neuer Wein.

cuntur. Proin, AUDD. præferte hâc horâ aqvam mecum vino *Malvatico, Rhenano, Moſellano*, & cuicunqve alii, etiam nobiliſſimo: cui autem divina bonitas horum copiam ſuppeditavit, *Sereniſſimi* Natali pòſt ex optimo genere hilaria & ſalutaria bibens, per me libet liteťque. Intereà conſidete ad fontes parumper taciti, miramini mecum bonitatis divinæ fontes, noſtras ſcrutamini opes, noſtram expendite felicitatem, utque breviter disſerere qveam, qvantum de noſtris *Fontibus Soteriis* mihi hactenùs innotuit, veſtrâ æqvanimitate concedite, veſtrâ patientiâ permittite. Sic eâ ſpe freto portum, qvem intendo, feliciter ingredi, atque ſuum conſeqvi finem, qvem ſibi propoſuit Oratio, tutiùs licebit.

Sicut hujus univerſi artifex & conditor hæc omnia, quæ in cœlis & terra ſunt, immensâ ſuâ ſapientiâ digesſit & condidit, ut ex qvibuscunqve ejus operibus divina manus abundè eluceſcat; ita non minùs aqva, mare, fontes ac flumina ſapientisſimum produnt creatorem, nosque ad Ejus infinitam potentiam, & humanam omnem mille paraſangis excedentem ſapientiam debito cultu celebrandam excitant & invitant. Nolo hîc ex aqvarum miraculis cognoſcendam proponere divinā omnipotentiam (14); neqve ex earum illuvione & cataclyſmis divinæ juſtitiæ argumenta diducam (15); nec denique in divinæ bonitatis & miſericordiæ mare ita me immergam, ut id ipſum vobis per multos anfractus, per ſaxa, cautes & rupes trajiciendum commendem, dum benignisſimum Numen ſalſos & amaros fontes ſæpius prædulces reddit & ſalubres, & vim ſalutiferam ac verè miraculoſam compluribus aqvis indit, qvales non ex ſacris (16) modò conſtant, ſed & profanis Hiſtoricorum monumentis



(14) Qvæ ex compluribus S. Scripturæ locis diduci valet, e.g. Gen. I, 6. 7. Hiob. XXVI, 8. Pſalm. XXXIII, 7. CIV, 3. Matth. VIII, 26.

(15) Conf. Gen. VII, 21. Ex. XIV, 28. qvalia pòſt plura exempla memorant hiſtoriæ, & noſtra etiam loqvuntur tempora.

(16) Vid. Ex. XV, 25. 2. Reg. II, 21, V, 14. Jo. II, 9. V, 3. ſq. IX, 7.

tis (17) celebrantur, qvorum ſi excutere loculos vacaret, ingens certè per aliqvot horas diſſerendi ſeſe campus aperiret. Qvàm enim facillimum eſſet, varias variorum fontium, eosque mirandos excutere fluxus, qvorum nonnulli marino æſtu creſcente decreſcunt, ſurguntque cadente (18): alii contrariam planè naturam produnt (19), qvarum mutationum cauſas non unâ hactenus operâ ſolerter inveſtigare adniſi ſunt ſapientiæ filii. (20) Nec minùs æſtivali aridoque tempore, ubi aqvarum ubique penuria eſt, largo fluxu promanantes, hiemali contra planè exſiccatos (21), alios certo anni tempore, vel diei cujusvis ſpatio exuberantes, reliqvo penitùs emortuos, adducere in promtu eſſet (22), qvales & noſtra fovet Germania (23); ita ſuâ vi ac operatione differentes complures aqvas variæ Regiones oſten-

(17) Vid. prolixè *Sim. Majol. dier. Canicul. Coll.* XIII. de fontibus, p. 182. ſq. *Seifried in Medullâ mirabilium naturæ: Franciſci* in Sineſiſch-Oſt- und Weſt-Indianiſchen Staats- und Luſt-Garten / aliosve.

(18) Qvalis fons ad *Gades*, teſte *Strabone*, l. III, item in ripâ *Baticâ*, *Plin.* l. II, 97.

(19) Alter ad *Gades*, *Plin.* l. c. item in *Hyberniâ*, *Ortel. in Theſ. Geograph.*

(20) *Majolus* p. 182. l. c.

(21) quales in *Italiâ* complures, item ille fuiſſe dicitur, qvi in Salomonis templum *Hieroſolymis*, ſordibus abluendis fluebat, juxta *Euſebium* l. IX, 4. *de præp. Evangel.*

(22) Vid. *Plin. Junior.* de ſuo fonte l. IV. ep. 30. p. 172. it. *Zwinger. Theatr. vit. hum.* vol. 23. p. 3945.

(23) Eſt talis modi in *Padebornenſi* Epiſcopatu, prope pagum Altenbecken / ille, qvi à ſupplodendo *ſupplodens*, vel *creprericupus*, der Polterbronn audit, qvi ſingulis 24 horis in campo amplo atqve arenoſo bispromanat, totiesque evaneſcit, utut adeò largas profundat aqvas, ut tribus rotis molaribus circumagendis ſufficiant: ad qvem THEODORUS Epiſcopus *Padebornenſis* nobili cuidam conſortio aliqvando cum ſplendido convivio ludicrum ſimul inſigne exhibuit, præter omnium opinionem aqvâ derumpente erumpente, & fœminas illuſtres non parum humectante: Conf. *Franciſci* l. c. p. 1261. Seifrid p. 266.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-24000-p0014-4

ſtendunt, ut mulieres fœcundantem *Goa Indiæ Orientalis* (24); ſtimulos *Venereos* extingventem & laſcivientium flammas ſuffocantem (25); *Cyzicus : Gratianopolis* faces extinctas accendentem, accenſas extingventem (26); *Thuringia* & provinciæ aliæ injecta in lapides convertentes (27); Sic *Naila* noſtra ferrum in cuprum mutantem fovere dicitur; ſit tamen fides penes autorem (28). Fontes ſunt, qvi pice & bitumine fluunt (29), alii, qvi ſangvine (30), oleo (31), alii & balſamo (32); ſunt, qvorum fluxus qvaſi fatidicus eſt, & imminentes vel publicas clades, vel annonæ caritatem, aut peſtis diritatem prænunciat (33). Dantur porrò, qvi non, ut hominem ſervent, ſed perimant, è terræ viſceribus erumpunt, qvorum liqvor mors haurientibus eſt (34):



(24) *Alb. de Mandelslo* Itiner. l. II, 6. p. 130. qvales alios vide apud *Joſeph.* V, 4. de bello Jud. *Solinum* c. X. & *Senecam* l. III, 25. Qq. Nat. p. 459.

(25) Plin. XXXI, 2.

(26) *Auguſtin.* de C. D. XXI, 7. p. 625.

(27) Vid. *Laurenb.* Acerra Philol. Cent. IV, 200. *Franc.* l. c. p. 1262. *Zvinger.* p. 3945. *Seifrid* p. 327. *Majol.* p. 191. rationem & modum hujus petrificationis noviſſimè expoſuit *Mart. Liſter è S. R. Lond. Exercitatione de fontibus Medicatis Angliæ* c. VIII.

(28) B. D. *Schafferus* in deſcriptione fontis Weidenbergenſis.

(29) qvales ex lacu *Aſphaltide:* Conf. *Plin.* II, 105. *Strabonē* l. V, 1. Q. Curt. V, 1

(30) Vide *Nauclerum* gener. 35. *Vincentii ſpeculum Hiſtor.* l. XXIV, 66.

(31) Adi *Franciſc.* p. 1265. & *Seifrid* p. 306. it. *Zvinger.* p. 3947.

(32) Exempla qvære in *Franc.* p. 1264. & *Seifrid* p. 308. Prolixus hîc in exponendis, & magnâ ſerie recenſendis exemplis eſt *Seifrid* p. 262. ſs.

(33) Talis & in noſtris his regionibus, & inferiori qvidem tractu eſſe ſcribitur à *Nobiliſſ. Dn. D. Pez. Medico Neoſtadienſium ad Ayſſum celeberrimo*, in literis ad me datis, inter Lenckersheim & Jckelheim verſus montem, qvem vulgò den Alabaſterberg/ vocant in qvo multis retrò annis mira hæc obſervata natura, ut, licet per montium poros ſubterraneos tranſtillet, fluxu ſuo frugum uberem proventum, ſubſiſtentiâ verò vel aqvæſtitio futuram caritatem præſagiat.

(34) Vid. *Plin.* II. H. N. c. 103. *Varro*, c. 12. *Franc.* p. 1266.

ſicuti aliorum aqvæ ſoli qvidem homini ſunt potabiles, reliqvis animantibus peſtiferæ (35); Sunt contrà alii, qvibus benigniſſimum Numen eam cœlitùs vim impertiit, ut varii generis morbis feliciter reſiſtere, eosqve graviter depellere poſſint. Hiqve fontes vel ferventes ſunt, vel frigidi reperiuntur. Noſtra certè *Germania* eâ felicitate à ſupremo omnium rerum ſoſpitatore beata eſt, ut nec thermæ ipſi deficiant, nec varii generis fontes ſalubriores alii. Qvis enim *Carolinas* illas, per totam *Europam* celebres, neſcit in *Bohemiâ*, qvibus *CAROLUS* IV. *Rom. Imperator*, & *Bohemorum Rex* adeò impensè fuit delectatus, ut ab Auguſto ſuo nomine fecerit auguſtiſſimas (36). Nec præmio ſuo defraudandæ ſunt *Badenæ* (37), *aqvæ Aqvenſes*, *Spadanæ* (38) *Embſiæ*, (39), *Hornhuſanæ* (40), *Svaalbacenſes* (41), *Wildungenſes* (42), *Egranæ* (43), *Freienwaldenſes* (44), *Ronnenburgenſes* (45), *Eubavenſes*,

[35] Talem in *Hyberniâ* tradit *Ortelius* in *Theſauro Geogr.*

[36] De *Thermis Carolinis* conſuli poſſunt *Hydriatria Carolina VVenceslai Hilligeri Baruthi* 1663. item *Strobelbergeri inſtructio Medica* ibidem: & aliorum plurium conſilia Medica de iisdem.

(37) *Badenarum* aqvarum deſcriptiones dederunt *D. Jo. Kiefer*, item *D. Jo. Georgius Agricola*.

(38) *Spadanas* aqvas, à vico *Spa*, in *Leodienſi* Epiſcopatu dictas, ſuo merito extulit *Henricus ab Heer/ Tongrenſis*. in fontibus Spadanis. Conf. & *Libertum Fremondum* in *Meterolog.*

(39) Vide *Hydrographiam Embſianam Marſ. VVeigelii*, Phyſ. Wormat. Horſtii & aliorum.

(40) *Hornhuſanum* fontem dedit deſcriptum *Phil. Döbner* J.U.L. & Herm. Med. Cultor. it. Aug. Hauptmann.

(41) Situs eſt vicus Schwalbach in *Comitatu inferiori Cattenelbogenſi*: acidulas autem has deſcripſit *Ludov. de Hornigke*, it. *Jo. Gottfridus Geilfuſius*.

(42) *VVildungenſes* in *VValdeccenſi* Comitatu ſuam famam & gloriam præcipuè debent præconi *Matth. Ramelovio*, Med. Lic. & Med. Waldeccenſi.

(43) Egranos complures deſcripſere, ùt *Matth. Hornigke*, *Chriſtianus Langius*, *L. Meierus*, *Auguſtinus de Bois*, cum multis aliis.

(44) Sunt in *Marchiâ mediâ Brandenburg.* inſignemqve gloriam paucis ab-

ſes, (46) *Caſimirianæ* (47), ita novellæ haud ita pridem novas nobis memorârunt acidulas, in Sereniſsimi *Saxoniæ Ducis, JOANNIS ADOLPHI*, qvi *Leucopetræ* ſedem habet, territorio, & Bibræ qvidem apertas, qvibus raras & charas vires adſcripſerunt (48): Imò ſolus *Würtenbergenſis Ducatus* adeò benignam hâc etiam parte expertus eſt naturam, totqve ſalutiferis aqvis dotatus, qvæ non uni Ducatui, ſed multis certè regnis ampliſsimis ſuffecerint. *Dainacenſes* qvidem (49) palmam ceteris præripiunt

hinc annis ſibi pariunt, cumprimis ab A. 1684. De qvibus in den Monatl. Geſchichten A. 1684. in Aug. p. 393. hæc leguntur: Zu Freienwald/ einem ſehr luſtigen Städtlein/ an der Oder belegen/ iſt ein neuer Geſund-Bronn entſprungen/ welcher köſtlich gut für die Lungenſüchtige/ und die mit dem Scharbock beſchwehret/ befunden wird/ theils/ die ganz contract, haben ſich beſſer befunden/ daß ſie hurtig wieder gehen/ und feſte ſtehen können. Das Waſſer iſt lieblich zutrincken/ und wird gleich den Schwalbacher Sauerbronnen allenthalben im Lande verführt. Jhro Chur-Fürſtl. Durchl. haben ſich ſehr wohl nach deßen Brauch befunden/ und hat ſich deßen auch Pr. Philipp wegen der Flüſſe an den Augen bedienet. Nobilitavit certè eas Potentiſsimus Elector ſuâ qvotannis præſentiâ.

(45) *Ronnenburgenſes* aqvas delineavit, earumqve uſum monſtravit *Matth. Zach. Pillinger.*

(46) *Eubavenſes* ſitæ ſunt in *Schvvarzburgico* Comitatu, de qvibus, qvantum mihi innotuit, nemo hactenùs ſcripſit peculiariter.

(47) *Caſimirianæ* acidulæ in *Coburgenſi* Ducatu deſcriptæ fuere ab *Andr. Libavio.*

(48) Hujus Bibracenſis fontis prolixiorem & uberiorem delineationem per Nobiliſſ. & Experientiſſ. Dn. D. *Siboldum, Medicum Aulicum* deſcriptam benignè mecum communicavit *Nobiliſſ. Dn. Chriſtianus Schüz, Conſiliarius Saxonicus,* Dominus Fautor ac Amicus æſtumatiſsimus, qvam, qvòd noſtri *Stebeni* fontis vires & virtutes in multis æmuletur, ad finem integram adjicere conſultum duxi. Lit. E.

(49) *Dainacenſium* excellentiam prodiderunt *Joannes Leporinus,* Medicus Würtenbergenſis, *Andernacus & Tabernamontanus.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-24000-p0017-0

ſunt, eas dein *Göppingenſes* (50), *Bollenſes* (51), *Sylveſtres* (52), *Zellenſes* vel *Liebenzellenſes* (53), *Canſtadenſes*, *Ebenhuſanæ*, *Blaſienſes*, (54), aliæque magno numero ſeqvuntur. Sed qvid aliorum ita diffusè prædico bona? Num enim nos in hâc *Franconiæ* extremitate & *Variſciæ* ac *Bohemiæ* confinibus omnium rerum in hoc qvoqve Principatu adeò ſumus inopes, ut non niſi aliunde, qvibus indigemus, emendicare opus habeamus? Neutiqvam verò omnium, ſed ſuam etiam bonitatem DEUS O.M. largisſimâ manu in nos effudit, modò eam nôſſemus, aut nôſſe vellemus, aut, dum novimus, debitè æſtimaremus. Nam ſicut nec omnis generis frugum varietate & abundantiâ, pecoris gregumque copiâ, lini fertilitate, nemorum ſylvarumqve ubertate, metallorum ac mineralium diverſitate, aut reipsâ, aut ſpe non planè fruſtaneâ, ulli facilè ex finitimis cedit regionibus, ſed easdem vel certè æqvat, vel ſuo genere haud parùm ſuperat: ita nec minùs fontium ſalubrium numero & varietate plurimis aliis palmam facit dubiam. Qvamqvam autem, qvod calore ſuo naturali nobiles aqvas ſpectat, hactenùs qvantum mihi innotuit, nulla thermarum apud nos determinatio fuerit facta, nec qvævis omninò regio interiore illo igne effervescat; nihilo tamen ſeciùs aliam, frigidam licet, calore tamen ſuo non parùm commodam aqvam proferre valeo, qvæ thermarum qvaſi vices ſuſtineat, iisque probè fungatur. Exſpatiamini mecum, Auditores, paulisper, fontinalia vobis hæc exhibebo, qvô divinæ bonitatis ſigno cognito ac celebrato ipſum mecum fontem coronabitis. Eſt in inferiori Superioris hujus Principatûs *Burggravialis* tractu, & præfecturâ qvidem *Hoheneccenſi* ad *Ayſſum* fluvium vicus antiqvitate ſuâ haud incelebris, civitatis juri & præ-

ro-

(50) *Göppingenſes* acidulas exhibuit *Jo. Theodorus Tabernæmontanus.*

(51) *Bollenſes* delineârunt *Joannes Bauhinus* & *Hieronymus VValchius.*

(52) *Sylveſtrium* deſcriptionem edidit *Jo. Deucerus*, Paſtor illius loci.

(53) *Zellenſium* noticiam prodidit *Martinus Rulandus*, *Medicus Palatinus* & *Saxo-Lauenburgicus.*

(54) Confer *Samuelis Haſenrefferi* hypotypoſin balnei *Blaſiani.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-24000-p0018-6

rogativis dudum ab *HEINRICO* VI. Imp. deſtinatus (55) ædium multitudine & ſplendore nonnullis urbibus non ita multò inferior, cui antiqua adpellandi ratio nomen eſſe juſſit Bern/ item Burkbern/ denique Burkbernheim. Qvod unde ſit, certò cognoſcere hactenùs non licuit. Qvondam ego credidi, vicum hunc, qvamdiu libera olim & immediata Imperii Advocatia fuit, pòſt ad *Comites ad Truhendingen* proprietatis jure pertinuit, Bern vel Bernheim dictum fuiſſe, qvòd forſan *urſorum* ea eſſet *patria*, der Bären Heimath/ cùm ingentes & denſiſſimas ſylvas multis retrò ſeculis oras easdem inſediſſe hodienum certum ſit, in qvibus urſi aliarumqve ferarum greges ſuos habuere nidos, ſua cubilia. Poſtqvam autem *Seculo* poſt C.N. XIII. & anno qvidem ejusdem XXC. *Fridericus Comes à Truhendingen* dictum vicum Bernheim & advocatiam in eundem, ſive die Vogtei/ emtionis jure *FRIDERICO* III. *Burggravio Norib.* ceſſiſſet, *Burgi* adjectâ voce à novo hoc poſſeſſore *Burggravio* Burkbern adpellari cœpiſſe, qvanqvam etiam *burgum* aliqvod ſive arx illic extructa auxiſſe nomen potuiſſet. Verùm certiora pòſt edoctus libentiùs in diverſam abeo ſententiam, præcipuè cùm ex antiqviſſimis documentis fideqve ſuâ neutiqvam vacillantibus conſtet, jam *CAROLI M.* ævo, & A. qvidem DCCCVI. vicum iſthunc probè conſtitutum nomineqve Bern & Burkbern inſignitum fuiſſe, qvod dein A. MCXXVIII. Imp. *LOTHARIUS* Saxo repetiit (56). Locum autem dictum cumprimis nobilitant Therothermæ Gr. adpellatione, ſive *Bajæ aut Aqvæ Ferinæ*, vulgò das Wildbad/ cum cognomine ad *Spiritum S.* zum H. Geiſt nuncupatæ, qvòd in loco nemoroſo inter feras ſcaturi-

C ant.

(55) Ita enim dictus Imp. *HENRICUS* VI. in Privilegio, *Bernheimenſibus* A. 1198. conceſſo: Wir nemen/ gefälts GOtt/ uns auch noch vor/ uß unſzer Voyty Bern yne Stadt zubauen/ oder Unz yn Burck an den ſchonen Bergk anden alten Orth zuſetzen/ und zu befeſten/ dann unz der Orth ſonders gefällig iſt.

(56) ad finem Orat. hujus excerpta ex privilegiis maximorum Impp. dicto loco conceſſis adjicere ſub lit. A. animus eſt.

ant. Emanat & deſtillat hæc aqva ex petrâ, & per montium radices, mediâ ſylvâ *Rotenburgum ad Tubarim*, Urbem Imperialem verſùs, qvæ non arboribus modò altiſſimis atqve extruendis ædibus aliisve uſibus commodiſſimis lignis, ſed & herbis ac plantis ſimplicibusqúe varii generis medicinalibus, qvibus ſola ſibi placere aliàs creditur *Italia*, referta eſt, unde Potentiſſimus *Elector Br. ALBERTUS Achilles* peculiari conſtitutione in corruptores ſalubrium illarum herbarum duorum florenorum impoſitâ multâ advertere juſſit. Utut autem aqva dicta ſit frigida, calidata tamen utplurimùm lavando, & potando frigida adhibetur, ſuasqúe tùm vires exerit. Auguſto & Principali id ipſum calculo dudum comprobârunt Auguſtiſſimus *CAROLUS IV. Rom Imp. Rex Boh.* & Potentiſſimus *El. ac Marggrav. Brand. ALBERTUS Achilles Germ.* ille privilegio A. 1347 hic 1485 cõceſſo, (qvorum qvidem verba inferiùs ad finem Orationis lit. B, deſcripta exhibebuntur.) Dedit thermarum harum deſcriptionem peculiari libello *Th. Knoblochius, Med. D. ac Sereniſſimi Marggrav. Brand. Onold. Archiater qvondam & Phyſicus Ordinarius Onoldinus* ante hos 76. annos *Onoldi* ſub tit: Kurtze und einfältige Beſchreibung des Burkbernheimer Wildbads/ darinnen deſſelben Natur und Eigenſchafften/ ſo wol auch/ wie man ſich in und nach dem Gebrauch ſolches Bads verhalten ſolle/ angezeigt. Et per amicum ad manus alia ejus deſcriptio venit, qvam ante *Knoblochium* dediſſe videtur *Andreas Rosler, Medicus qvondam Windsheimenſis, & Baronis Sensheimenſis Archiater*, ſub inſcriptione: Kurtzes Bedencken von einem Wildwaſſer in Burkbernheimer Wald/ ſo in des Durchläuchtigſten/ Hochgebohrnen Fürſten und Herrn/ Herrn GEORG FRIDRICHS/ Marggraffens zu Brandenburg/ in Preuſſen/ ꝛc. Herzogens/ Fürſtenthum und Obrigkeit gelegen/ dahero es rühmlichen das Marggräfiſche Brandenburgiſche Wildbad Buckbernheimer Walds zunennen. Sed non niſi manu exarata eſt hæc deſcriptio, nec lucem, qvantum ego conjicio, vidit publicam, atqve cum *Knoblochianâ* egregiè con-

ſen-

ſentit. Promiſit præterea uberiorem ejus explanationem B. *Dn. D ADAMUS SCHAFFER*, Archiater qvondam *Sereniſſimorum Marggraviorum Brandenb. & Ducis Würtenberg.*, hujusque noſtræ Urbis Ordinarius (57), de qvâ tamen, utrum in publicum emiſerit, nihil hactenus innotuit. Denique noviſſimè *Nobiliſſ. Dn. D. PEZ, Neoſtadienſium ad Ayſſum Medicus famigeratiſſimus, Fautor & Amicus colendiſſimus*, multâ hactenùs experientiâ de fontium horum bonitate edoctus, eorum indolem & vires ad me perſcripſit, ex cujus delineatione qvædam ad calcem adjiciam excerpta. (ſub lit. C.) Virtus, qvâ ſalutifera hæc aqva pollet, ex mineralibus eſt, qvibus efficaciter tincta, eorum vim induit, ægrisque ſolerter communicat. Spiritus qvidpe vel calor ſubterraneus, qvi terræ innaſcitur, & Solis aliorumque Planetarum influxu juvatur, dum intra terræ receſſus coqvendis, maturandis ac perficiendis metallis ac mineralibus ſine intermiſſione occupatur, maximâ ſubinde fuliginum & exhalationum copiâ è matricibus ac mineris adſurgit, per terræ poros ſe diffundit, & ſubtiliori ac magis ſpirituali mineraliũ ſubſtantiâ aquas adhuc in fieri exiſtentes, aut actu jam factas, permeat, ſuisque virtutibus tingit & imbuit: prout igitur magna ejusmodi exhalationum diverſitas exiſtit, modò ex unius, modò ex diverſi generis fuliginibus, & effluviis, ita etiam modò unius tantùm, modò plurium virtutes & facultates aqva illa combibit, qvod ſubſeqventi tempore ex diverſitate effectuum non obſcurè deprehenditur. Qvandoqve etiam non niſi ſubtiliſſimæ ac ferè ſpirituales eſſentiæ è mineris exhalant, aqvisque communicantur, ſine interventu craſſioris alicujus fumi, unde fit, ut ejusmodi aqvæ tenues & pellucidæ absque ſedimento craſſiore in vaſis fundo conſpiciantur, facileque vi ignis aut aëris, niſi probe claudantur & operiantur, ſpirituum ſuorum jacturam faciant, qvod vel ſingularis experientia confirmat. (58) Sunt itaque *in Bajis his Burkbernheimenſibus*

 mi-

(57) In dedicatione deſcriptionis fontis Weidenbergenſis.

(58) Vid. D. *Mezger* in *Anatome Thermarum Phyſico-Chymica*. Aliter*

mineralia, nitrum & ſulphur, quibus nonnulli aluminis nonnihil cum gypſo addunt, at illa his præponderant. Unde & nympheum hoc ejusqve lympha innumeris morbis feliciſſimè reſiſtit, eorum dolores imminuit, imò inveteratum multoties malum planè eradicat; idqve non inferioris modò ſortis homines, ſed etiam excelſo genere & prælustri ſtirpe nati ſuo ſæpenumerò bono comprobatum dederunt. (59) Thero-thermarum & *Bajarum* harum uſus non per totum quidem annum eſt continuus, ſed hiemali tempore planè ceſſat, verno verò & æſtivali usque ad hoc interſtitium perdurat, circa ipſum autem *Jacobi* Feſtum, partim meſſe, partim cauſis aliis accolis præpeditis, clauditur, inqve futurum vernale tempus reſervatur. Adhiberi ſolet ra-

* hæc tradit L. *Kalchof* in Inaugurali *de Fontibus Soteriis* Lipſiæ 1678 habitâ, qvâ ita ratiocinatur: Aqva ex mari orta altiora petit per evaporationes, qvæ aqva centralis per ſubterraneum fermentum, ad qvod influentia aſtralis facit, rareſit & elevatur: Porrò vapor ſubterraneus, qvem *Helmontius Gas* vocat, in certâ ſpecie luti coerulei pingvis, qvale à nullo fonte abeſt, in aqvâ condenſatur, ubi fontium origo eſt. Sed in loco ſcaturiginis Spiritus vaporum influentialis & inſiti argillacei qvidam colliſivus motus & fermentatio obſervatur, inter cujus accidentia eſſentialia refert qvarundam particularum præcipitationem ſive fixationem, aliarumque rarefactionem. Namque aqva eliſo Spiritu præcipitatur in terram, ſal, lutum, ſabulum, calculos, imò metallicas etiam particulas, prout Spiritûs motus, & ſeminalis idea jubet. Lutum autem fontanum, tranſſumto ſpiritu, aliqvam partem rareſcit in ſubtile Gas, ſive ſubſtantiam ſubtiliſſimam & activiſſimam, qvæ ſubſtantia fixo-volabilis meritò dicenda, omnes qvidem fontes ſalubres, ſi qvando autem copioſior præſtò eſt, in ſpecie ſoterios reddit. Rurſus etiam aqvarum medicatarum cauſam ex ſale communi & nitro, ùt dicit, calcario, adfert *MART. LISTER*, Diſſert. de aqvis Angl. medicatis. Conf. & *PETRUM GIVRIUM* Med. D. in Arcano Acidularum. Sed hæc Medicorum filiis curioſiùs inveſtiganda linquo.

(59) Imp. *CAROLI* IV. & *ALBERTI* Achillis, Electoris Br. teſtimonia inferiùs lit. B. exhibentur.

ratione duplici, interiùs per gratam ſatis potationem, & exterius per lavationem, humoribusqve inſervire dicitur laudatis ſuprà *Roslero, Knoblochio* & *Pezio* egerendis, ventriculo confortando, nauſeæ amovendæ, hepatis ac lienis intemperiei arcendæ, ictero depellendo, hydropiſi ſiccandæ, calculo comminuendo & egerendo, utero fovendo & purgando, ſterilitati & abortibus inhibendis (qvod reapſe experientia non ſemel confirmatum dedit, qva de cauſâ etiam *Zellenſibus* comparatur:) podagræ doloribus leniendis, membrorum denique convulſioni & paralyſi abigendæ & tollendæ. Quæ autem in thermarum harum adplicatione obſervanda ſint, recenſere hic alienum à meo propoſito duco, & in memoratis partim ſcriptis legi, partim à prudente Medico exqviri posſunt. Sic linqvimus fumantes ſulphure nymphas *Burkbernheimenſes*, undas illas Medicas & Bajas, & ex inferiori tractu in ſuperiorem remeantes, aliorſum gradus vertimus. Nam ut fontem illum ſoterium, qvi in ſalutis fonte, ſeu *Hailsbronnenſi* cœnobio, magnæ qvondam famæ fuisſe fertur, ejusque nomen peperisſe creditur (qvanqvàm alii *grandinis fontem* den Hagelbronnen primitus dictum, poſt à Cœnobii fundatoribus ob inſignem ejus loci uberiorum fontium ſalubritatem in melius immutatum eſſe, cum *Gaſp. Bruſchio* teſtentur (60), tacitus nunc prætercam, qvod de eo uberior tempore alio, ſi DEO ita placuerit, loquendi anſa ſeſe ſit exhibitura; Non tamen hic me orandi deficit materia, ſed vereor potius, ut ex voto omnia perſequar. Offendere qvidpe licet mixtas ejusmodi locis cõpluribus aquas, mineraliũ natura imprægnatas, acore ſapidas, quas Deus in ſalutarem noſtri uſum procreavit. Singulare certè DEI donum ejusmodi *acidulæ*, (de his enim nunc ſermo eſt) ſuo celebrantur merito, tùm, qvod haud exiguam prodant ſubſtantiæ nobilitatem, *ſaporis* ſuavitatem, tùm verò, quod & intrinſecè in potionibus & extrinſecè qvædam in Lotionibus medicatis egregias ac nobilisſimas pariter vires exſerant: Talismodi fonti-

 um.

(60) *Gaſp. Bruſch.* in Tr. de Monaſteriis, & deſcriptione cœnobii Hailsbronnenſis.

um ſoteriorũ, in noſtro qvoq; Principatu, nõ unum certè licet deprehendere, ſed numero complures -- *dulcis acoris,*

*Qvi ſumti varios lethales pellere morbos*
*Corporibus paſſim incipiunt, his victa repente*
*Dira lues, turpes ſqvamas maculasq; remittit,*
*Et nervis labefacta, diuq; trementia membra*
*Firmantur, fugiunt febres, & pallida tabes,*
*Atq; ſui innumeri revocantur munera cordis.*

Sunt hi fontes virtute ſalubres, efficaciâ aliis qvibuscunqve pares aut ſuperiores. Nihil certè fingo, nec patriæ amore veritatis limites tranſilio, ſed, qvæ ipſa firmat experientia, ſatis confidenter aſſevero. Qvod ſi itaqve mecum, AUDD, *Nariſcorum* illas oras pertranſire placet, in iisdem, qvæ hûc cumprimis faciunt, ſcaturigines ejusmodi acidas reperiemus, præcipuè in illo diſtrictu, qvi Occidentalem & qvi Orientalem plagam ſpectat. Namqve illic nemini non notus eſt pagus, qvi ſui tamen fontis bonitate vici, imò urbis gloriam meretur, *STEBENUS*, qvem non qvidem palatiorum concinnitas, (ſunt qvidpe illis plura ruricularum tuguriola, qvàm civium inſigniores ædes) ſed cœli ſalubritas, ſoli fœcunditas & fontis acidi inſignis bonitas & dignitas commendant. Diſtat pagus dictus non uno lapide *à Lichtenbergâ*, oppido egregio, qvod aſylum qvondam reddidit celebre, tutus ſcilicet refugii locus, ut infelices & miſeri delinqventes vindices oppreſſorum manus effugere, & ſecuri vitam ſuam ibidem ſine metu ac periculo traducere potuerint, ubi ab iniqvitate & nimiâ ac violentâ oppresſione liberati qvietum accepere hoſpitium, in qvo vim ac injuriam potentiorum, iram iniqui judicis, carceris ſqualorẽ ac moleſtias, ſæpè cum vitæ periculo conjunctas evitare, atqve ex loco illo refugii, privilegio tali ornato, in libertate, absqve compedibus cauſam defendere, & innocentiam ſuam demonſtrare, aut etiam culpam deprecari valuerunt. Horam circiter abeſt pagus *Stebenus Nailâ*, qvam plurimæ Geographorum Mappæ, in oris noſtris utplurimùm hoſpites & fal-

la-

lates, *Ailam* falsò nominant, vico metallifero, cujus divitias atqve opes, qvas in interioribus terræ cavernis natura benigniſſima hîc recondidit, anno abhinc ex hoc ipſo loco recluſas conſpexiſtis. A dicto itaque pago Stebeno vix centum paſſibus *Africum* versùs, gegen Sud-Weſt/ ſitæ ſunt, qvas hìc jam memoro, acidulæ, in prato plano ac viridi, qvod rivulus adluit, qvem omnis generis piſciculi, qvos gratiſſimo fert ſapore, præter plura alia, qvæ habet commoda, reddunt acceptiſſimum. Pagus iſte in mappâ qvâdam Geographicâ *Franconiæ* noſtræ (61) non *Stebenus* audit, ſed ab his acidulis der Sauerbronn inſcribitur. Ipſe fons ex interioribus terræ meatibus ſcaturiens purus & pellucidus eſt, niſi conturbetur, cujus tamen craſſior materia in imo reſidet, ſaxo qvadrato, pro haurientium commoditate, convaſatur, ſuperiùsque tecto contra pluvias defenditur. Ceterùm ſuaviſſimi ſaporis eſt, præcipuè, ſi ex ipsâ ſcaturigine bibatur, acidi aliqvid & ferrei vel ipſi lingvæ communicans. Multis hic retrò annis celebratus fuit, inde ab accolis magnâ voluptate hauriebatur, ac inſigni proſperioris valetudinis ſucceſſu qvotidianis ferè uſibus adhibebatur: qvòd tamen peritus deesſet Medicus, qvi ejus vires curatiùs aliqvantùm examinaret, & naturam penitiùs rimaretur, medicus qvoque ejus uſus diu fuit obliteratus. Tandem verò D. *JOACHIMUS KOLBIUS*, *Archiater Comitum Ruthenorum & Medicus Schleizenſis* nobilisſimus, poſtqvam arte Chymicâ, & modis qvibuscunqve aliis, qvos horum ſtudiorum periti artifices adhibere ſolent, aqvæ *Stebenſis* naturam ſolerter indagâſſet, divinas ejus virtutes abunde cognovit, unde & huic D. *Kolbio* præ ceteris gloria habetur, qvod acidularum harum *Stebenſium* fuerit inventor, probator & ſolers ſcrutator (62). Qvod dum hincinde inclaruiſſet, major hujus fontis celebratio apud prudentiores fuit orta, adeò, ut ſingulis annis complures



[61] Delineata hæc *Franconiæ* mappa eſt per *Jo. Sandrartum*, Norib ergæ.
[62] Vocatur inde *Dn. D. KOLBIUS* acidularum harum inventor, probator & experimentator.

vel eò potatum ſe conferrent, vel ex fonte aqvam hanc ſalutiferam ſibi adportari curarent: præcipuè cùm poſt D. *Kolbium* D. *ANDREAS MACKIUS*, *Archiater Schwarzburgico-Rudolphopolitanus* par de iisdem *Stebenſibus* acidulis ferret judicium, imò *Egranis*, toto tamen orbe nobilibus, æqviparaRet, & in certis qvibusdam adfectibus non parum anteferret. Cui Nobiliſſimo Medicorum pari tertium (qvòd in trium teſtimonio conſiſtat veritas,) addere licet, Medicorum parentem & Principem, *GUERNERUM ROLFINCCIUM*, ſolertisſimum & curioſisſimum Naturæ ſcrutatorem, Medicum & Chymicum extra Germaniæ fines æquè, ac intra eosdem, famigeratisſimum, qvemqve non *Jena* ſola capere potuit, ubi per XLIV. annos continuos usqve ad emortualem ſibi LXXIII. hujus ſeculi, *Practicæ, Medicinæ & Chymiæ Profesſoris* munera felicisſimè obiit, qvi de noſtris *Stebenſibus* acidulis itidem ſenſit honorificè & earum qvalitatibus cognitis & perſpectis non ſemel ægros ad easdem remiſit. Huic Medicorum triadi adſocio Poëtam qvendam, *Jo. Chriſtophorum Treunerum*, qvi in *Scladacrene ſuâ* (63) ſive *acidularem Egranarum deſcriptione* Poëticâ *Stebenſium* noſtrarum non uno loco egregiam injecit mentionem, inter reliqva in notis ita: *Fons Stebenſis ad pagum Steben ad ſecundum lapidem à Lichtenbergâ oppido, in Marggraviatu Baireuthenſi ſitus, jam multos abhinc annos ſalubres ſuas vires in varia loca diffudit. In certis corporum πάθεσι palmam Egranis non ſolùm dubiam facit, ſed etiam præripit.* Sic facilè liceret aliorum Autorum plurium de iisdem adferre elogia, præprimis Anonymi *Geographiæ recentioris Statiſticæ* (der neuen Staats Geographie) (64), ſi colligendis illis tempus fallere in animo haberem. Potiùs, qvæ laudati noſtri fontis vires ſint, & virtutes, ſcire dum avetis, en illas prodam non tàm meis, qvàm aliorum ejus probè gnarorum inqve fontinalibus ejusmodi exercitatisſimorum virorum verbis. Laudatus qvidpe ſupra *Dn. D. Kolbius* de eodem hoc fert judi-

(63) Edita eſt Rudolphſtadii, 1681.
(64) Lipſiæ prodiit in formâ minore Anno ſuperiore.

judicium: *Acidulæ Stebenſes, quantum ego deprehendi* (non igitur aliorum tantùm fide nixus, id ſibi perſuaderi paſſus fuit,) *continent plurimum ſpirituum ferri, nonnihil cupri, tùm mineralium, plus nitri, ac vitrioli, qvam ſulphuris ac ſalis. Auri qvoque & argenti vires iis ſubeſſe aliqvas arguit & virgulæ judiciũ, & ab exſpiratione aquæ ſuperficiei color, & tenuiſſima qvædam qvaſi lamina exiſtens. -Vires harum acidularum perqvàm & maximè ſpirituoſæ ſunt.* B. D. *Maakius* in literis A. cIↃ IↃc XXCII. d. 24. Junii ad Amicum perſcriptis ita de iisdem: *Acidulæ Stebenſes penitùs naturæ humanæ ita congruunt, ut non modò NEMINI OBSINT, ſed & augendi & nutriendi vires in ſe contineant, qvod plurium perſonarum teſtimonio non demonſtrare modò, ſed & Illuſtrium Medicorum autoritate confirmare habeo. Unde has Stebenſes acidulas* (NB.) *RELIQVIS OMNIBUS MERITO PRÆFERO, ſiqvidem non in procelloſâ & tumultuoſâ vi qvicqvam reſidet, ex qva multoties varia propullulare ſolent incommoda, qvod tamen de his metuendum neutiqvam eſt, ſed, ſi debito modo adhibeantur, viſcera ſenſim confortando in naturalem tonum & harmoniam perfectam omni conamine reponunt* (65). Hæ autem qvalitates fontis noſtri clariùs pateſcent, ubi metallorum ac mineralium eundem ingredientium naturam aliqvantùm conſideraverimus accuratiùs. Aqvæ ferri animâ ac ſpirituoſis talismodi atqve ſeminariis qvaſi ferri ſubſtantiis combinatæ præ ceteris metallorum ac mineralium generibus impendiò

 no-

(65) Verba Maakiana ita ſonant: Nöthige Purgir-Mittel können nicht beſſer noch ſicherer adhibirt werden/ als bei einem Sauerbronnen/ zumal bei einem ſolchen/ wie der Stebiſche iſt/ der durchaus der menſchlichen Natur alſo gemæß/ daß er nicht allein niemand ſchädliche Artzneien/ ſondern auch nehrende Kräfften in und an ſich hat/ welches ich mit verſchidenen Perſonen nicht allein klärlich erweiſen/ ſondern auch mit fürnehmer Medicorum autoritate beſtärken kan/ und derowegen ſolchen allen andern billich vorziehe: Denn es iſt an der ſtürmenden Gewalt nicht gelegen/ daraus oft Ungelegenheit entſtehet/ dergleichẽ von dieſem nicht zubefahren/ ſondern/ ſo er gebührend geleitet wird/ ſezet er die viſcera gemachſam ſtärkend möglichſt in tonum naturalem widerum.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-24000-p0027-6

nobiles Autoribus judicantur, ut vel aurum, ſummâ in metallis perfectione præſtans, tantum ad vitam vix exerat uſum. Remiſsè calefaciunt, frigidis ſuccurrunt adfectibus, & innocuè calidis, eò, qvòd caliditate non excedant, deniqve exſiccandi, aperiendi, adſtringendi, membra confortandi, putridos conſumendi humores, virtute inſignes ac pollentes prædicantur. Sed, qvæ *CUPRI* facultatibus imprægnantur, vi calefaciendi, exſiccandi tamen magis, ac remiſsè adſtringendi ſunt preditæ, non in tantùm tamen corroborantes, qvantùm qvidem *ferratæ*, abſtergentes itidem, attenuantes ac digerentes. *NITRUM* aqvas ſalſas, mage tamen amareſcentes, incidentes item fortiùs, qvàm deſiccantes reddit, nec minùs digerendi ac calefaciendi potentiâ, ſuper aqvæ ſcilicet temperatæ naturam, adſtringendi mediocriter, detergendi, alvum laxandi, urinam ſudoremqúe ciendi vim ingerit. (66) *VITRIOLUM* porrò, qvô item *Stebenſes* hæ acidulæ irrorantur & fœcundantur, adſtringendo, conſtipando, calefaciendo potentiâ, ſiccando, purgando ac vulnera ſanando adeſt. Sic, qvi *SULPHURIS* minori qvantitate tincti ſunt fontes, qvalis certè noſter eſt, gratum acidi ſaporem referunt, calidæ ſiccæqúe temperiei, aperientes, incidentes, putredini, venenis reſiſtentes putantur, cùm contrà, ubi majus præ ceteris Sulphuris Dominium deprehenditur, qvod in *Egranis* fatentur Medici (67), fœtoris impresſionem ſucipiant, ſicqúe nocuâ ex ſtomacho exhalatione caput ac cerebrum feriant. *SAL* denique fontes non modò ſalſugineos, ſed & inſigni exſiccandi, minori tamen calefaciendi virtute reddit nobiles, abſtergendi etiam, diſſolvendi, purgandi, adſtringendi leniter, conſumendi ſuperfluitates, penetrandi, digerendi, aperiendi, incidendi, putredini ac venenis reſiſtendi vires largitur (68). Qvod autem *aurum* & *argentum*

iis

(66) De Nitri virtutibus Medicis prolixè egit Gvil. Clarke, Anglus, in Hiſtoriâ naturali nitri c. IV. (67) Aug. de Bois, & alii. (68) De mineralium ac Metallorũ horum naturis conferri posſunt. Andr. Libavius in der Beſchreibung des Caſimirianiſchen Sauerbronnens / unter Lobenſtein / Bois in Beſchr. des Egriſchen Schleder Sauerbroñens c. VII. D. Fromman. de acidulis.

iis ineſſe ſuſpicetur *Kolbius*, idque ex virgulæ indicio & colore aquæ ac laminâ qvaſi ſuperficiei inhærente conjicit, idipſum, qvod tamen ejus aliorumvé idem ſentientium pace dixerim, meum certe calculum nondum obtinuit. Tractus enim ille integer cupri qvidem ac ferri mineris refertus eſt, at auri & argenti hactenus nihil omninò erutum, nec argumentum de iis ſatis validum ſupereſt. Qvæ *Virgulæ Mercurialis* ratio ſit, Phyſici excutiant, & utrum nunqvam fallat, diſpiciant (69). Color autem & lamina illa ſuperficialis è nitro eſſe poteſt; auri certè & argenti metalla prodere neutiqvam videtur, qvod eadem omnium aqvarum Marte ac Venere tinctarum, ubi placidè qvieſcunt, ratio ſit; quanqvam hîc magis, alibi minùs ſeſe exſerant. Qvibus ita ſe habentibus & in unum collectis, ſicut aqvæ minerales aliæ calefaciunt, ſiccant, attenuant, reſolvunt, penetrant, adpetitum excitant, ventriculum confortant, obſtructiones viſcerum aperiunt, lapides in renibus & veſicâ comminuendo vires ſuas manifeſtò expediunt, in morbis medicum alioqvin & medium ludentibus: calorem hepatis & renum temperant, eorum arenulis detergendis & expellendis omnium aliorum medicamentorum vim excedunt, qvia hoc valdè diureticum, qvia ſimplex, qvia naturale, qvia artis omnis expers, qvia gratiſſimum ad omnia alia nauſeantibus remedium: purgant hi fontes, atque inteſtina roborant, alterant, ſuo vigori reſtituunt, qvilibet tamen peculiari ſibi in hoc vel illo morbi genere efficaciore virtute: ita noſtrarum ſpeciatim *Stebenſium* operatio, juxta *D. Kolbii* obſervationem, conſiſtit in eo, *qvod omnes inferioris & medii ventris obſtructiones, & exinde exortos & exorituros morbos avertant, ut in aperiendo præcaveant, leniter per alvum, magis verò per vias urinarias & ſudores, inſenſibilemq; tranſpirationem vitioſa educant, viſcera & omnes corporis partes mirum in modum alterent, corrigant & confortent.* Et ſanè, qvod inſignis qvidam Medicus (70) de acidulis aliis maturum perhibuit judicium, ſpe-

 cie

[69] Vid *Prætor.* von der Wünſchel-Ruthen: it. de Pollice p. 163. ſs.
(70) apud *Treunerum* l. c. lit. D. ult.

cietendis noſtris his adplicari poterit, dum ita: *Ut in meſenterio & viſcerum concoctionum vaſis tanqvam in ſentinâ eſt colluvies peſſimè corruptorum humorum, unde omnes ferè omninò oriundi morbi, teſtantibus hoc graviſſimis Autoribus: ita meliùs dicti humores ibidem reſolvi, inde elui, extergi non poſſunt, nec viſcera meliùs alterari & corroborari, qvàm per acidulas. Ergò per has noſtras acidulas omnes ferè curantur morbi* (71). *Hypochondriacos* dolores penes literatos, & qvibus fatigationem ſedentariam inceſsûs vegetatione diſcutere non adeò licet, eſſe intenſiſſimos, haud paucorum qverelæ ſunt. At certius, ſecurius & promtius aliud remedium contra eosdem nemo monſtrabit, aqvis noſtris *Stebenſibus*, utpote, qvæ in venis meſeraicis ſubſiſtentem materiam peccantem reſolvere, diluere, egerere promtiſſimè valent. Qvæ cum ita ſe habeant, mirari certè ſatis neqveo qvorundam aut inſcitiam aut invidiam, qvi non exacto ſufficienter judicio hoc DEI donum ponderant, ſed nihili aut parum omninò æſtimantes ad alios libentiùs fontes, ſanitatis vel retinendæ vel recuperandæ gratiâ, pluribus longè impenſis & ſumtibus, nec minori periculo excurrunt, ac ſi noſtri hi fontes ſitirent, qvàm, ut qvi noſtri ſunt adeò tuti, adeò ſalubres, adeò grati ſaporis, iisdem uti fruique inſigni & certiſſimo ſuo commodo velint (72). Rectiùs contrà Sereniſſima aliqvot capita, Illu-

[71] Confirmat idem ſuperiùs citatus *L. Kalchoff* in Inaugurali ſuâ, qvâ, aqvas ſoterias ratione primi Entis univerſalis Medicinæ apicem attingere, & omnibus omninò convenire morbis teſtatur, & utut actu non omnem aboleant extingvantque morbum & vitæ conclamatæ ſpem ubique erigant, inque ſeros annos extendant, qvi qvidem finis externus non ſemper obtinetur, convenire tamen dicit omnibus morbis, atqve præ aliis ubique potenti manu in adfectus qvosvis ita agere, ut omnium compleant indicationum paginam, nullaque ſuperſit etiam leviſſimi accidentis contradictio, ſicque ab omni ἀντιπραξίας crimine abſolvantur. Idque expedire ſerenando, hilarando, exanimando, augendo conturbatos, triſtes, imbelles, diminutos ſpiritus.

(72) Conqueritur de eâdem animi levitate *Rosler* in Manuſcripto vom Burkbernheimer Wildbald/ his verbis: Es hat der allmächtige*

luſtriſſimi Comites, aliique generis nobilitate, munerum dignitate, nominum claritate præſtantes Viri ex locis exteris noſtra hæc bona oculis non adeò obliqvis & invidis dijudicantes, vel *Stebenam* ipſimet à multis jam annis confluxerunt, & etiamnum confluunt, ut fonte hoc in viciniâ potantes ſuam provehant ſalutem, vel certè aqvâ advectâ proſperrimè utantur. Memorare hîc opus eſt *Sereniſſimam Principiſſam ac Dominam, Dn. SOPHIAM LUDOVICAM, Marggraviam Brandenburgenſem, Magdeburgenſium, Pruſſorum &c. Duciſſam, natam Duciſſam Würtenbergenſem & Teccenſem, Dominam ac Principiſſam noſtram Clementiſſimam,* quæ annuo abhinc ſpatio inſigni valetudinis ſuæ, (qvam DEUS nunqvam adverſam eſſe velit!) corroboratione qvinqvies ingentem aqvæ hujus portionem adportare juſſit, feliciſſimeque pòſt adhibuit. Nec minùs *Sereniſſimus BERNHARDUS, Saxoniæ, Juliacenſium &c. Dux, Dominus & Princeps Mainungenſis,* ſuperiori anno ex fonte hoc qvem *Ichterhuſam* deportari voluit, exoptatiſſimè ſalutem ſuam potavit. *HENRICUS X. lineæ junioris, Comes Ruthenus-Lobenſteinenſis,* aliqvot abhinc annis in arce *Thierbacenſi* per qvasdam ſeptimanas fuit commoratus, pro fontis hujus medicato uſu. Et, qvid plures addere licet, qvi qvotannis *Coburgo, Iſenaco, Schneebergâ, Salſeldio, Pöſeneccio, Neohuſio, Græfenthalio* atqve aliunde ad fontem hunc ſoterium confluunt, qvos inter unum omnium inſtar nominâſſe mihi ſufficiat *Virum Summè Reverendum atque Magnificum, DN. JO. JACOBUM STEINHOFERUM, SS. Theologiæ*



*GOTT den Markflecken Burkbernheim mit einem ſonderlichen Gnadenwerk eines wunderbahren Wild-Fluß/ oder Wild-Bades geſegnet/ welches/ ob es wol/ dem Allmächtigen ſei Lob und Dank! ſeine Nutzbarkeit und Frucht an vielen hohes und niedern Stands-Perſonen erwieſen/ dannoch biß daher von etlichen aus Unverſtandt/ die ihres eigenen Vaterlands Begnadung wenig wahr nehmen/ gering geachtet worden. Sintemal man mehr/ was in der ferne/ dann in der nähe iſt/ beliebt; ſo ſind doch noch Gutherzige Leuthe/ die ſolche Gabe GOttes erkennen/ ſeiner Allmacht dafür danken/ und dieſes Bad mit Dankſagung und Nutzbarkeit gebrauchen.

*Doctorem, Sereniſſimo noſtro à Concionibus Aulicis Primariis, Confeſſione privatâ, & Conſiliis Conſiſtorialibus, atque poſt B. Domini à LILIEN, obitum, ritè desſignatum ac ſuo merito nominatum Superintendentem Generalem Principatûs hujus Superioris Burggraviatus Norici & Conſiliarium Eccleſiaſticum, Dominum Patronum ac Parentem meum in CHRISTO debitâ pietate ac obſeqvioſo cultu perpetuò venerandum*, qvi altero jam anno ex eodem noſtro *Stebano* fonte pro adverſâ depellendâ, & firmâ ſibi reducendâ valetudine ſuaviter, faxit ſupremum Numen, ut non niſi ſalutariter ac proſperè! potavit, neque hactenùs qvicqvam intermittit, qvô debitâ laude fontem hunc coronet. At optandum tamen eſſet, ut major in dicto pago ſeſe exhiberet commoditas, compotores advenas ædibus pariter & hoſpitio excipiendi, qvòd hactenus, ubi illic locorum diverſorium publicum eum in finem paratum non ſit, vix penes unum aut alterum privatum, præcipuè autem loci illius Paſtorem ea ſe adcommodatio offerat, qvæ tamen omnium primò reqviritur: ſic enim ſpes eſſet, breviſſimo temporis interjectu futurum, ut *Stebenſes* hæ acidulæ magis magiſqùe inclareſcerent, inſigneqùe noſtro Principatui decus & commodum pararent. Neque diffido, *Sereniſſimum Noſtrum* eò conſilia & operam directurum, qvò impedimento hoc ſublato, dignitas *Stebenis*, qvam ſuâ naturâ jam habent, externâ etiam victus & hoſpitationis facilitate paretur, qvidpe

*Dulciùs ex ipſo fonte bibuntur aqvæ.*

Et non per unam modò ſeptimanam, ſi ſaluti eſſe debet, ſed per plures continandus ejus uſus eſt. Qvod enim de *Spadanis Frambeſarius* Medicus, idem mihi de *Stebanis* adfirmare par eſt. *Qvantò quisque plus biberit, eò meliùs habebit, dummodò aqvas benè egerat.* Hinc etiam *B. D. Maakius* earum uſum minimùm ad IV. ſeptimanas extendendum ſuadet, tùm enim ejus vires ſentientur, & operationes prædicabuntur: contrà graviter indolebunt, qvi diutiùs iis bibendis tempus inſumere recuſârunt. Qvodnam autem Regimen circa medicatum *Stebenſium acidularum* uſum ſit ob-

obſervandum, privato conſilio memoratus modò *D. Maakius* expoſuit, qvi ſimul publico id ſcripto, dummodò longioris ævi fuiſſet, magno certè commodo vulgâſſet: hinc ut de iisdem exactum judicium, debitus potationis modus, juſtaque diætæ ratio, à prudente & experientiſſimo qvodam Medico, naturæ ſolerti inveſtigatore, publicis typis orbi innoteſceret, è rei neceſſitate ſummoperè eſſet. Anteqvam *Stebenſem* hunc fontem claudo, in Ejus, Beatiq; *Maakii*, inſignis illius Encomiaſtæ laudem, carmen aliqvod Germanicum, qvo *B.D.Maakii* manes poſt obitum Anonymus qvidam hydro-ſympota honeſtavit, inſerere, atque ita his qvaſi floribus fontem pariter & Panegyriſtam coronare non pigrabor:

Wahr iſts/ich muß geſtehn/gar wenig ſind der Alten
Noch übrig/die da was auf Sauerbronnen halten/
Die da nach Kunſt/ Verſtand/ und aus Erfahrenheit
Recht wüſten/ob/wenn/ wie/ wie ſtarck/ zu welcher Zeit
Er zu gebrauchen ſey: Diß konte man erfahren
Bey dieſem ſeel'gen Mann/ der hat bey funffzig Jahren
Die Seuerling probirt, den Stäb'ſchen ſonderlich
Getruncken/und nechſt GOTT dadurch erhalten ſich.
Es ſtecken hier und da noch viele/ ſo geneſen
Durch ſeine Kunſt und Brunn/ die ſchon geſchätzt geweſen
Für ganz und gar verlohr'n: Was Kolbe angemerkt
Zu erſt an dieſem Brunn/dadurch wurd' er geſtärkt /
Und forſchte fleißig nach/ wer ſonſten was geſchrieben
Vom Bad und Seuerling/ wie Prob und Cur getrieben
Agricola/ Libav/ Sennert/ Sebitz und Heer/
Lang/Solenander/Horſt/Tabernämont/Kircher
Wolf/Sommer/Ellenberg/Walch/Faber und noch mehre
Das unterſucht er ſcharff/ notirt, was nützlich wäre/
Richt ſeine Cur d'rauf ein/ und macht durch Artzenei/
Die er dazu bereit/ viel Kranke friſch und frei.

Es

Es muſt' Haupt-Hertzens-Leb'r-Mag'n/ Mutter-Miltz-Beſchwehrung/
Stein/Scharbock/Gicht/Darrſucht/uñ heimliche Verzehrung
Sich laßen halten auf/ und treiben gänzlich ab/
Solch Lob vom nah und fern ſagt man ihm nach in Grab.

Verùm neque ſic linqvendus eſt ille tractus, ut confeſtim aliorſum pedes ferre neceſſum habeam. Non enim modò penes laudatum hactenùs fontem aliqvot vix paſſibus alius ibidem ſeſe offert acidus qvoqve & ejusdem forſan cum priori ſcaturiei, qvi tamen, qvòd ille haurientibus & potantibus ſufficiat, incultus utplurimùm hactenùs jacuit & neglectus; ſed & omnis illa regio fontibus hujusmodi pluribus ſcatet & abundat. Non adferam, qvòd prope *molam bufonariam*, die Krötenmühl/ qvæ vix dimidiæ horæ ſpatio *Stebenâ* diſtat, tales qvoqve acidulæ, non tamen acres ſatis & acidæ, occurrant, præcipuè, cùm & alieni, non noſtratis juris illa mola & tractus ſint, ſed ad *Illuſtriſſimos Comites Ruthenos* ſpectent. Sed in noſtri qvoqve Principatûs ſolo, eodemqúe diſtrictu alias adhuc clarere conſtat. Eſt locus, qvem non tàm ipſe ſitus, qvàm à Majoribus, neſcio qvâ de causâ, nomen impoſitum reddit formidabilem, *Thierbachium* versùs poſitus, vulgus *Infernum*, die Hölle/ nominat, qvem *Selbiz* fluviolus rigat, piſciculorum delicatiſſimorum feraciſſimus: hunc itaque locum non flammæ triſtes & infernales horrendum, non, ut *Heclam, Islandiæ* Montem ejulatus & Satanæ luſus dirum, ſed præſtantes potiùs acidulæ paradyſum & inſignem faciunt, qvæ modò prudentiùs obſervarentur, debitè ab aqvâ fluviali & pluviali arcerentur, ac ceteroqvin ſollicitè curarentur, non mortis, ſed vitæ cauſa multis eſſe poſſent. Imò compertum habeo, ubi olim à dicto fluvio præterlabente fons hic multis arenarum molibus eſſet obrutus, in ipſo *Selbizio*, poſtqvam decreviſſet, atque Solis ardore aliqvantum exſiccatus fuiſſet, novos acidi illius fontis erupiſſe meatus, ſeque publicè prodidiſſe. Altero lapide *Stebenâ*

benâ diſtat *Geroldsgrünium*, pagus itidem ſoli ac aëris benignitate, præcipuè autem ſylvarum multitudine nobilis, qvi horæ dimidium ambulantibus egregias & inſignes denuò acidulas aperit in planicie, qvam viretum longum, die lange Au/ dicunt, ſitas, ex durâ eâque qvadratâ petrâ proſilientes. Utrinque montes adſurgunt & nemora, atque haud procul inde manat amniculus, qvem non qvidem aqvæ fluctuantis impetus, ſed ſingularis, qvam accolis exhibet, commoditas nobilitat. Eodem ſiqvidem ligna aliorſum, tandemque per *Mœnum Francofurtum* usque commodisſimè devehuntur, ac magno ibi pretio divenduntur. Ipſe fons pellucidus eſt, purus, atque ab omni fece purgatus, ſaporis acrioris, qvi Martem ac chalybem labris ſaltem primis guſtantibus apertisſimè prodit, qvâ de causâ & *chalybis fons*, der Stahlbronnen longo jam tempore fuit inſignitus. Crocus certè Martis in defluxu ad oculum patet. Nemini clauditur, ſed patulus eſt qvibuscunqve, toto hinc die à qvamplurimis, remotioribus etiam, partim recreationis & refrigerationis, partim verò valetudinis causâ hauritur, & *Altenburgum, Coburgum*, atque aliorſum deportatur; hoc tamen unum & grande ſatis videtur eſſe incommodum, qvòd non niſi per viarum anguſtias & loca petroſa ad eundem fontem gravatim & difficulter detur acceſſus. Ceterùm hæ ipſæ acidulæ magno fovendæ & refocillandæ corporis valetudini ſunt emolumento, qvod vel inde liqvere arbitror, qvia in dicto pago ac orâ circumjacente, qvæ ex hoc fonte haurit, paucisſimi dantur malè habentes, aut decumbentes, aut difficillimis morbis laborantes, rarò ægritudines illic ingraveſcunt, ipſique invalidi vel hiemali tempore medicinam ſibi ex fonte iſthoc petunt; hinc & loci dicti Paſtor in literis ad me datis fatetur, paucisſima illic funera terræ inferri, plures contrà infantes ſacrâ baptiſmatis undâ levari. Et ſanè, cui loco DEUS ſoterios ejusmodi fontes ac acidulas donavit, is annoſiores præ aliis homines numerare poterit. Caret porrò omni aqvâ ſpuriâ fons hic, ad montem qvidpe ſitus, ubi in defluxu ſemetipſum

defecare ſolet; nec verno tempore fluviali miſcetur, præter, qvòd illo interſtitio, qvô vehendis lignis occupantur accolæ, aliqvantum mergitur, qvanqvam brevi ſe denuò ab omni extrinſecùs accedente aqvâ exoneret, qvod ipſum eliqvium viſui objicit. Tantum etiam de *Geroldsgrünenſibus* illis acidulis. Excipiunt easdem adhuc aliæ, diverſo tamen diſtrictu, qvem Orientem versùs *Wonſidelienſem* vel ſex præfecturarum, der Sechs Aemter/ communis loqvendi magiſter adpellare hactenùs conſuevit. Diſtat *Thiershemio* vix ſemihorulâ pagus, qvem Kötzingen-Biberbach vocant, huncqve divina clementia acido inſigniter fonte ita beavit, ut ſexaginta circiter & ultra abhinc annis à compluribus uſu medicato proſperrimè idem fuerit adhibitus, præcipuè, cùm experientiſſimus qvidam Medicus *D. MATTHIAS HORNIGKE Thiershemii* ſedem fixiſſet, ægrisq; compluribus de non niſi his acidulis bibendis autor fuiſſet, qvô factum, ut ex locis etiam diſſitis magnus ad ſoterium hunc fontem fieret confluxus, qvem dictus Medicus ex Chymicæ artis regulis examinans, non tàm aqvam aqvæ, qvàm hunc ipſum fontem *Egranis* acidulis ſimilem tenore, ſapore, valore deprehendit. At cum poſteà belli diritate his regionibus imminente nominatus *D. Hornigke Thiershemio* ſecederet, & *Egræ* refugium tanqvam in loco tutiori qværeret, ibidem ordinarius loci Phyſicus conſtitutus, animum cum aëre mutâſſe videtur, contigit qvidpe poſteà, ut noſtri hujus fontis *Biberbacenſis* fama & memoria ferè oblitterarentur, qvanqvam hodienùm accolæ inſigni ſuo commodo, ac vitæ diuturnioris, multorumqve morborum expertis, bono ex eodem hauriant, & lætanter potent, veriſſimum illud *Horatii* exiſtimantes:

*Si ventri benè, ſi lateri, pedibusq; tuis, qvid*
*Divitiæ poterunt Regales addere majus?*

Qvod ſi porrò qvalitates ejus internas penitiùs inſignis aliqvis Medicus rimaretur, publicæqve luci exponeret, & Magiſtratûs ſolertior cura de eodem rectiùs curando, aqvâ præprimis pluviali

ali arcendâ ſedulò proſpiceret, nullum planè hæret dubium, qvin indies magis magisque non ſine multorum decumbentium ſalute ejus celebritas & gloria ſumtura ſit incrementa. Deniqve & circa *Selbium* inter *Schönwald* & *Villiz* fons qvidam accolis eſt notiſſimus, qvi ſapore præfert acidulas, neqve ſine commodo à fonticolis viſitatur, hauritur, potatur: at cùm ſolers & huic cura ac provida qvalitatum exploratio usqve huc defecerit, inter ignobiles jacet etiamnum tanqvam ſepultus. Hactenùs acidulas, utut non omnes, potiores tamen & præcipuas recenſui, qvas noſter tenet Principatus. Ne autem hîc filum ſermonis abrumpam, & dicendo finem faciam, alia adhuc, qvæ paucis attingi debent, monere videntur. Contraham tamen, qvæ ſuperſunt, ne aures veſtras diutiùs fatigem. Namqve alios adhuc fontes ſoterios Illuſtris noſter Marggraviatus fovet & novit, qvos inter annis abhinc XXVII. magno celebratus fuit nomine *Weidenbergenſis*, qvi meritò Salutifer der Heilbronnen tùm audiit, qvòd qvam multis ex diſſitis etiam locis eò confluentibus ægris fuerit ſaluti. Scaturit ille in tractu, à multis ſeculis celebri, qvidpe inter *Weidenbergam* & *Sudetos montes* ſpatioſa cernitur regio, vulgò *campus regius*, die Königsheid nominata, qvoniam, ùt antiqva refert traditio, Rex qviſpiam ibidem, cujus memoria effluxit, ingentem ſtragem ediderit, qvod ſimul oſſa, crania, arma æruginoſa ſcutaque obſoleta & parmulæ hinc inde effoſſæ multoties & repertæ latiscunque arguunt (73). Ex illius *montis piniferi*, ùt Metallorum & mineralium, ſic & aqvarum parentis feraciſſimi radice erumpit vena perqvàm divite, ac duplici ſcatebra fons hic, cujus aqvam honeſta ac pia qvædam vidua ſibi, DEO duce, oſtenſam contra intenſiſſimos brachii ac lateris dolores feliciſſimè potavit, qvod ejus exemplum pari ſpe, nec diſpari ſucceſſu ſecuti fuere infiniti alii, tanto hominum confluxu, ut ad fontem hunc miraculoſum illo qvidem tempore, continuæ

E 2 ex

[73] Vid. Gaſp. Bruſchii Beſchreibung des Fichtelbergs p. 9. it. à Wallenfels Antiqvit. l. XII. 35. p. 478.

ex remotioribus locis ægrorum pariter & ſanorum fierent peregrinationes, qvòd à Medicis deprehenderetur, ineſſe eidem vim nervos emolliendi, & calefaciendi, nec minùs dolores & vagos artus profligandi, paralyſin & membra contracta curandi, virtutem item cerebrum exſiccandi, vitia, ſordes & ulcera aurium ac oculorum mundandi, porrò attenuandi & incidendi, tumores, excreſcentias carnis, ſtrumam & hydropiſin abſumendi, obſtructiones aperiendi, aſthma tollendi, omnem ſcabiem, pſoram, pruritum & ſerpiginem abſtergendi, ulcera item maligna & elephantiaſin incipientem ſanandi, denique adſtringendi & adpetitum excitandi facultates: qvas omnes uno diſticho qvidam tùm ejus fontis viſitator & admirator complexus, januæ ejusdem hoc inſcripſit:

*Curantur claudi, cæci, muti atque leproſi*
*Fonte hoc, & morbi in corpore qvicqvid habes.*

Inde & *B. Dn. Schafferus* peculiari de eodem fonte recenſione Hiſtorico-Medicâ, qvam Sereniſſimæ tùm Tutelæ juſſu publici juris fecit, complura ægrorum fonti huic ſalutem receptam qvi gratanter referebant, nomina, numero LVIII. recenſuit. Mirum tamen meritò eſt, in primâ qvaſi herbâ ejus gloriam periiſſe & ſuffocatam qvaſi fuiſſe. At divinæ forſan indignationi, aut cuicunqve cauſæ alii id ipſum adſcribendum eſt, qvæ, qvòd tantum bonum haud debitè ſatis æſtimaremus, nec divino Numini devotas propterea grates perſolveremus, ſed ejus potiùs iram vitiis variis ac flagitiis in nos multiplicaremus, adeò exarſit, ut idipſum donum & bonum nobis ſubtrahendo, priſtinas fontis virtutes mirandas ſuſtulerit, aut certè inhibuerit, qvanqvam, qvod ex fide digni viri ore hauſi, etiamnum oculos caligantes egregiè reſarciat, & illorum adfectibus inſigne ac certiſſimum lenimentum adferat. Neqve noſtra hæc Urbs *BARUTHUM* egregiis & ſalutaribus deſtituitur fontibus, qvos natura bonitate inſigni & ſaporis dulcedine ditavit, qvalis ille, qvem reliqvorum facilè *Ducem* dixeris, qviqve *Ducalis* vulgò, der Herzog-Bronnen

au-

audit, cujus aqva adeò grata palato eſt, adeoq́ue ſanitati conducit, ut non inferioris modò ſortis homines ſitim ex eo levent, ſed Principales etiam perſonæ complures ejus aqvam bibant. Provideant modò illi, qvorum id eſt, fonti dicto aliqvantum ſollicitiùs, ipſiq́ue priſtinum, qvi ante hos XX & ultra fuit annos, nitorem reſtituant, ne, qvod verendum, ſcaturigo aliqvando plane vel obruta, vel aliò derivata, alias qværat vias, ſed antiqvo potiùs fluxui reſtituta, veteres repetat meatus, utq́ue locus ille gratum deambulantibus deinceps qvoqve receptum, non fugam aut abominationem præbeat. Porrò inter urbem hanc noſtram & antiqvam ejus ſedem ſive pagum Altenſtadt in viâ inferiore, qvæ illuc ducit, qvâ qvidem prope villam Xenedochialem in pratis ad fluviolum *Miſtelam* eò gradari licet, alius qvidam occurrit fonticulus, incolis vulgò der Fäulbronnen adpellatus, qvod oris putredini & gingivæ cruentationi validè reſiſtat, & malum dictum firmiter inhibeat. Ne deniqve de illo fonte, qvem den Wallbronnen vulgò adpellant, multa addam, qvi milliari abhinc, *Neoſtadium ad Culmum* versùs poſitus, pago Wallbronnen nomen indidiſſe creditur, vel ab eodem hauſit. Dictus uterqve à ſcatendo, vom Wallen/ qvod plures illic ſcatebræ frigore & ſapore jucundisſimæ hinc inde erumpant. Præ ceteris autem claret fons ille, qvem peculiariter den Wallbronnen inſigniunt, mirandæ meritò ejusmodi naturæ, ut carbones perpetuò ebulliat, qvòd ibidem, dominico qvodam die, divino cultui ſacrato, plauſtrarium carbones vehentem, terrà dehiſcente periiſſe, antiqva tradat relatio. Accolæ tamen non ſine ſuæ valetudinis commodo aqvà ejus ad qvoscunqve vitæ qvotidianæ uſus utuntur. Imò ſuſpicandum eſt, carbones hos alium qvaſi fontem habere, qvi ſi à prudenti rerum naturalium inveſtigatore, & ſagaci Chymiæ artifice inqvireretur, plures ſanitati qvàm maximè proficuas venas esſet aperturus. Sed, qvò labor? Utut itaqve plura de fontibus aliis (74) dicenda ſuperſint,



(74) Vide inferiùs lit. D. in adpendice.

ſint, claudam tamen Fontes, qvoniam ſat prata biberunt, nec veſtrâ ulteriùs abutar patientiâ, ſed receptui canam, ubi vota priùs & preces luci huic peculiares & debitas exſolvero. Tibi itaque, DEUS O. M. DEUS Trinune, Vitæ noſtræ ſator, ſtator ac moderator unice, in cujus manu, ùt principium & medium, ſic ultimum qvoqve dierum noſtrorum conſignatum eſt, Tibi, inqvam, qvas ore exprimere, qvas mente fundere, qvas corde depromere, grates poſſum, exſolvo maximas, excelſiſſimas, intimas, qvòd dona hæc & bona miſeris nobis mortalibus ſolatio & fomento indulgere, noſtræ egeſtati ac fragilitati iis ſuccurrere, noſtras ærumnas ſublevare volueris. Sis proporrò, benigniſſime DEUS, nobis propitius, clementiæ Tuæ alis nos protege, è benignitatis Tuæ fonte nos recrea, qvæ Tua nobis immeritis indulſit bonitas bona, grato fac animo agnoſcamus, ac debitè accipiamus, deniqve ut in miſeriarum hâc valle & cladium multiplicium anguſtiis tuti qvieſcere qveamus, Tuâ miſericordiâ provehe. Præprimis autem, & qvod maximum hodiè eſt, gratiſſimâ mente agnoſcimus & veneramur, qvòd *Sereniſſimo Principi ac Domino, Domino noſtro Clementiſſimo*, diem hunc *Natalem* fauſto & optato ſidere, qvod firmâ ſpe tenemus, exoriri volueris, *Serenitatis* ſuæ annos ſecundaveris, &, qvæ certâ hâc fiduciâ nixi non qvotannis modò, ſed qvotidiè à Tuâ Majeſtate flagitamus, dies Ejus ſine mœrore & triſtitiâ usqve huc feliciſſimè produxeris. Utut enim ſingulæ luces Principum egregiorum beneficia adnumerantes peculiarem ſibi poſcunt devotionem, univerſus tamen felicitatis publicæ ordo haud ſecus, ac à puncto circuli rotunditas, ab illo cumprimis pendet tempore, qvod ejus autorem primum, *Terentiano* loqvendi genere, indulſit. Meritò itaque ſolemni voto ac plauſu lætiſſimo diem hunc conſecramus, præcipuè cùm in *Sereniſſimi* noſtri ſalute ſalus publica, ſalus omnium, ſingulorum ſalus ſita ſit. Et certè, qvod olim *AUGUSTO* Principi Optimo, *Puteolanum ſinum* prætervehenti, ex *Alexandrinâ* navi nautæ inter cetera fauſtitatis omina adclamabant,

